De SS. Libris vulgatae editionis Sixti V et Clementis VIII. PP. Max. auctoritate recognitis dissertatio. Posnaniae ex typ. Coll. S. J. 1763.

DE S. LIBRIS

Vulgatæ Editionis

SIXTI V. & CLEMENTIS VIII. PP. MM.

Auctoritate recognitis

DISSERTATIO.

Habita in Collegio Poſnanienſi
Societatis JESU.

Annô 1763. Menſe Junio, Die

POSNANIÆ MDCCLXIII.
Ex Typographia Collegii Societatis JESU.
Superiorum Facultate.

I. SAcrorum Librorum, quos Tertullianus (*L. de Præſcriptionibus c.39.*) *Divinâ Literaturâ*, Auguſtinus (*Concione 2. in Pſal. 90.*) *Literas DEI ad nos miſſas de cælo*, appellant; non tantam fuiſſe neceſſitatem, ut eorum ſubſidiô, Eccleſia DEI nullo modo carere potuiſſet. Quis enim Catholicorum neſciat, Eccleſiam hanc ab initio mundi ad legem uſque Moſaicam ſine Divinis Literis fuiſſe; & præter progeniem Jacob, quæ ſola ſcriptam legem accepit, interea temporis Eccleſiam Gentium decurriſſe, quippe *alii fuerunt* (ut inquit idem S. Doctor *Ep. 99. ad Evod.*) *credentes in Deum, ſicut Job, ſicut civitas Ninive; & ſi qui alii ſunt, qui vel apparent in ſcripturis, vel in genere humano latent:* imò etiam in lege gratiæ, teſte Jrenæo, (*L. 3. adverſus Hæreſes c.4.*) *fuerunt multæ gentes barbarorum, eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere, vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes... Quibus ſi aliquis annuntiaverit ea, quæ ab Hæreticis adinventa ſunt, proprio ſermone eorum colloquens, ſtatim*

concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Potuit igitur Ecclesia sine scripturis divinitùs inspiratis, si ita DEO placuisset, solâ Divinâ doctrinâ non scriptâ, sed voce tradita, regi, atque conservari.

II. Verùm quia etiam hoc sacrarum Literarum subsidiô DEUS illam carere noluit, dubio locus non est, quin & modum, quô earum primæva veritas, puritasq; sincera, ad hæc usq; tempora conservaretur, sapientissimè providerit. Quid enim illæ subsidii Ecclesiæ afferrent, si neque modus, neque ratio constaret, veros Divinos Libros à spuriis, sinceros à depravatis secernendi? imo quid non periculi, & damni hinc suboriretur, si parte ex una Ecclesia firmissimam fidem, uti verbo Dei scripto adhiberet, illudq; ut verum verbum DEI revereretur; & parte ex altera non verum verbum DEI, sed mendacia hominum & fabulas crederet? Sive ergo finem Sacrarum Literarum spectemus, sive bonum Ecclesiæ, fideiq; ipsius, & morum sinceram integritatem, sive demum sapientissimam ipsius Dei providentiæ rationem, ut fide Catholica credimus, Ecclesiam Christi habere scripturas divinitùs inspiratas, ita eadem fide credendum dicimus, esse quandam certam, eamq; infallibilem regulam in Ecclesia, cui omnes summa assensione credere debeant, quinam sint veri, & sinceri Libri Divini.

III. Hanc porro certissimam infallibilemq; Regulam neque posse esse illum privatum spiritum, quem se habere novatores gloriantur; neque ipsam sacram scripturam, quæ suo se proprio (ut ajunt) sapore, & sua luce cuiq; cognoscendam præbeat; neq; illa deniq; criteria, quæ nihil Divini testimonii in se habeant; verum sit oportet ipsum Divinum testimonium, non literis, de quibus eadem difficultas oriri posset, sed ipsa veluti per manus traditione, ad nos derivatum, idq; purum, since-

ſincerum, atq; nulla ex parte alicui erroris admixtioni obnoxium. An enim illa fidem Divinam mererentur, quæ locutusne ſit DEUS, non crederentur.

IV. Jſtud vero teſtimonium Divinum de eo, quinam ſint, & quales ſacri Libri, notum fuiſſe Apoſtolis, & ab his transmiſſum ad Succeſſores, conſervandum perpetuò inviolabiliter in Eccleſia Catholica, nemo prudens ambigit, qui & hanc Eccleſiam (*2.Tim.3.15.*) *columnam & firmamentum veritatis* eſſe novit, duraturam (*ad Eph. 4.*) *donec occurramus omnes in virum perfectum*; & Apoſtolos, illos Chriſti Domini noſtri Miniſtros fuiſſe, quibus ille dixit (*Matt. ult.*) *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Cum itaq; Chriſtus cum Apoſtolis non quidem jam in propriis eorum perſonis, ſed tamen in perſonis ſucceſſorum ſit iſto etiam tempore; & illa eadem, quæ initium ab illo accepit Eccleſia, hodie quoq; perſeveret; *quis tandem*, (inquit Auguſtinus *L.33. contra Fauſtum c.6.*) *tanto furore cæcatur; qui dicat, hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajiceret &c.*

V. Quamobrem Librorum Divinorum canonem, & ſinceram puritatem, integritatemq; non aliò firmiùs, quam Eccleſiæ Catholicæ judiciò cognosci poſſe aſſerimus. Celebre quippe eſt, & jure merito laudatum illud Auguſtini dictum (*contra Ep.Fundam: c.5.*) *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.* Hæc quoq; eſt communis veterum Patrum doctrina. Jnſtar omnium ſit antiquiſſimus Jrenæus; *Non oportet*, (inquit *L.3.c.4.*) *quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives pleniſſimè in ea contulerint omnia, quæ ſint veritatis, uti omnis quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc enim eſt vitæ introitus: omnes autem reliqui fures ſunt & latro-*

nes; propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum ſumma diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionē; & prædicationem (addit cap.40.) undiq; conſtantem, & æqualiter perſeverantem, teſtimonium habentem à Prophetis, & ab Apoſtolis, & ab omnibus diſcipulis... Hoc enim Eccleſiæ creditum eſt Dei munus... In Eccleſia enim poſuit Deus Apoſtolos, prophetas, Doctores, & univerſam reliquam operationem Spiritûs; cujus non ſunt participes omnes, qui non concurrunt ad Eccleſiam, ſed ſemetipſos fraudant à vita, per ſententiam malam, & operationem peſſimam. Ubi enim Eccleſia, ibi & Spiritus, & ubi Spiritus Dei, ibi Eccleſia, & omnis gratia; Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque à mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem &c.

VI. Ubinam verò Judicium Eccleſiæ Catholicæ auguſtiùs illuſtriùſq; exerceatur, quàm in Conciliis Generalibus, quæ Græci Synodos vocant? Horum conſtituta juxta S. Ambroſium *L.3. de fide c.15. alias 7.* ſunt *hæreditaria ſignacula nullius temeritate violanda*, juxta Gregorium M. *Ep. ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopol: 25. L. 1. alias 24. Se, & non illa deſtruit, quisquis præſumit aut ſolvere, quos religant, aut ligare, quos ſolvunt.* Si igitur Eccleſia ſuo Conciliari Judicio definivit, quinam, quot, & quales ſacri Libri, ſine ulla dubitatione, ut verè Divini, ſint ſuſcipiendi; neminem Catholicum futurum, qui eos ipſos, tot, & tales, ut verè Divinos, & eſſe, & debere ſuſcipi ab omnibus, non fateatur. Sapientiſſimè quippe Concilium Senonenſe celebratum an: 1528. in ſuo decreto ait: *Si generalibus Conciliis ea decernendi, quæ ad ſinceritatem fidei.. pertinent, poteſtas adimatur, nihil certum, nihil ſtabile futurum eſt, nihil denique, quô Hæreticus ab Orthodoxo poſſit internoſci.* Quis autem neſciat Divinam ſcripturam vel maximè ad fidei ſinceritatem pertinere?

VII.

VII. Catholica igitur fide credendum dicimus, eos omnes & singulos cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consveverunt, sacros Libros verè Divinos esse, quorum indicem adscribendum censuit Sacrosancta Tridentina Generalis Synodus *Sessione 4.* Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Hester, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Jsaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ Minores, id est, Osea, Jòël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Mathæum, Marcum, Lucam & Joannem: Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, & Apocalipsis Joannis Apostoli.

VIII. Neq; huic Catholicæ veritati declarandæ obesse poterat, quorumdam Patrum diversa opinio circa non nullos, ex modo laudatis, Libros, atq; eorum aliquas partes: cum eo tempore scriberent, quò nondum res plenariò Conciliò finita fuerit, nec æquè omnibus manifesta Divina Traditio, quam illa tenebat Ecclesia, Romana videlicet, ad quam, ut loquitur sæpe laudatus Jrenæus *(L. 3. c. 3.) propter potentiorem principali-*

tatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.

IX. Cum jam habeamus certum fixumque Sacrorum Librorum canonem, eorum omnium Authographa, seu textus archetypos hodie haud exstare affirmamus. Quæ manibus teruntur, apographa sunt, sive exemplaria & exempla; itemque translationes, editionesque variæ pro varietate, lingvarum, Authorum, & temporum in lucem emissæ. Jnter has præcipuum locum tenent textus Hebraicus, Græcus, & Latinus. Hebraicus &si operâ vel malitiâ Judæorum depravatus non sit, ut pluribus demonstrat Cardinalis Bellarminus *L. 2. c. 2.* uti tamen se hodie habet, prorsus sine nævo, ac mendo non est, vel Rabbinorum, qui post Hieronymi tempora puncta addiderunt, vel Librariorum, ac Typographorum culpâ, sive incuriâ; tales nihilominus errores non sunt, tantiq; momenti, ut ea, quæ ad fidem, & mores pertinent, attingant, aut corrumpant. Idem fere dicendum cum eodem putamus de Græca septuaginta Seniorum interpretatione, cum Hieronymi testimonio (*in Præf. 1. ad L. Paralip.*) *Pura non permanserit, & ut ab eis in Græcum versa est.* Magni tamen illa facienda, tum quod illam ipsi Apostoli & Evangelistæ scriptis suis consecrârint, atq; etiam ipse Christus secundum hanc versionem nonnulla dixerit, ut ostendit Humfredus Hodius; tum quod Ecclesia pluribus sæculis illâ usa est; nec eam rejecit, aut reprobavit unquam, sed veluti tantùm reliquit; neq; prorsus reliquit, sed potius, ut ad vulgatæ nostræ intelligentiam plurimum conferat, unà cum textu Hebraico retinet, ac diligenti curâ conservat. Quæ octo sunt reliquæ sacrorum voluminum Græcæ versiones, videlicet Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Auctoris

incerti duæ, Origenis, S. Luciani Mart. Heſichii Monachi, non multum authoritatis habent, aliquid tamen commodi afferre poſſunt, ad veros LXX Seniorum ſenſus quandoq; elicien-dos. Jam quod attinet Editiones Latinas, teſte S. Hieronymo *Præf. in Joſue*, & Auguſtino. *L. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 11.* prope innumerabiles olim illas fuiſſe, quorum poſterior: *Qui*, inquit disertè, *ex Hebræa lingva ſcripturas in Græcam verterunt lingvam, numerari poſſunt; Latini autem nullô modô. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibimet utriuſque Lingvæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Una tamen illa erat communior, quam idem S. Doctor *Italam*, S. Gregorius *veterem* appellat, nos *Vulgatam* dicimus cum S. Hieronymo.

X. Quia parùm prodeſſet Librorum Divinorum numerum, atq; etiam multiplicem editionem non ignorare, ſi cui ex tam variis, quæ nunc exſtant, Divina authoritas tribuenda ſit, ignoraremus; conſequens eſt, ut qui in Latina Eccleſia vivimus, quænam ex omnibus Latinis editionibus, quæ hac etiam temporum ſerie plurimæ circumferuntur, pro authentica judiciô Eccleſiæ Catholicæ habenda ſit, perſpectum habeamus. Sacræ quippe Literæ Divinam authoritatem habentes, non quæcunque dicendæ ſunt, ſed (ut olim ajebat Auguſtinus *L. 23. contra Fauſtum c. 9.*) *Eccleſiaſticæ, Canonicæ, Catholicæ. Aliæ quippe apud nos non habent ullum pondus authoritatis: ipſæ ſunt enim, quas recepit, & tenet Eccleſia, toto orbe diffuſa, quæ per illas eſt etiam prophetata; & quemadmodum promiſſa, ſic reddita.*

XI. Dicimus itaq; Vulgatam noſtram editionem Latinam authenticam eſſe: talis quippe declarata eſt per legitimam, & infallibilem Eccleſiæ authoritatem in Concilio Tridentino; cujus Decretum Seſſ. 4. in hæc verba expreſſum habemus: *In-*

ſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans, non parùm utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis Lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu audeat, vel præſumat.

XII. Ne autem ſola authoritate Concilii adverſarios obruamus, cauſas cur id definiérit, ſubjiciemus aliquas; nec enim paucæ, aut leves ſunt. Ac imprimis, vel in hac ſcriptura Latina aliquod falſum, & alienum à ſcriptura originali continetur, quod ad fidem moresq; pertineat, vel è contrario nihil tale eſt, quod ipſa nobis ubiq; tradit. Si hoc poſterius dicatur, hoc intendimus. Si illud prius, jam Eccleſia Romana, quæ Catholicæ nomen obtinet, circa ea, quæ fidei ſunt, graviter aberraret. Falſam enim aliquam ſcripturam, tanquam à Spiritu Sancto revelatam proponeret. Qua una re authoritatem ſibi adimeret in reliquis proponendis. Quo nihil aut abſurdius, aut pejus poſſet accidere. Unde jurè laudatum Concilium eadem Seſſione decernit: *Si quis Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Præterea Patres plurimi, qui à temporibus Gregorii Magni in Eccleſia Latina floruerunt, Doctores item, ac Theologi, Magiſtriq; omnes, qui longo tot ſæculorum curſu non aliâ, quàm hac editione Latina, veluti certiſſimâ regulâ uſi ſunt, ad confirmanda dogmata fidei, ad leges morum Chriſtianorum præſcribendas, ad refellendos hæreticorum errores, hi, inquam, Sanctiſſimi æquè, ac Doctiſſimi Viri,

ri, vel aliquid in ſuis diſſertationibus, diſputationibus invictiſſimè concluſerunt, vel nihil. Quod ſi nihil invictum concluſum eſt, Deum immortalem! quot, & quanti Doctores à mille & ampliùs annis, oleum & operam perdidiſſent; quot, & quàm præclari, inſcitiæ ac inconſiderati judicii arguerentur. Non puto fuiſſe, aut eſſe aliquem doctiorem magisqꝫ verſatum in Divinis Literis Hieronymô, Gregoriô M. Jſidorô, Bedâ, Anſelmô, Rupertô, Thoma Angelico, aliſqꝫ viris illuſtribus, Latinam noſtram editionem veluti infallibilem regulam amplectentibus. Jnſuper ſi noſtris Sacris Libris authoritas verbi Divini adimatur, quibusnam illa tribuenda erit? Græcisnè vel Hebraicis fontibus? verùm qua ratione hi deprehendentur non eſſe turbati, ſed puri, atqꝫ integri; ſi ea ratio, quæ pugnat pro Latina noſtra ſcriptura, eam authenticam eſſe non demonſtret? Hæc atqꝫ his ſimilia ipſosmet Novatores, magìs à præjudiciis alienos, còégerunt; ut jure optimò cenſerent, Vulgatam editionem omnibus aliis Latinis præferendam eſſe; tum propter ejus antiquitatem; tum propter Authorem, vel Emendatorem Hieronymum, Virum trium ſacrarum lingvarum ſcientiſſimum, & omnibùs præſidiis aliunde inſtructum; tum propter alios veritatis characteres, de quibus videri poteſt Grotius, Cauſaub. Capel. &c.

XIII. At inquiunt nonnulli Catholici, (hæreticos enim prætermitto) Vulgatam noſtram editionem Latinam eſſe quidem authenticam, ſed duntaxat in doctrina fidei, & morum; non autem in rebus aliis, minoris ſaltem, vel levis, aut leviſſimi momenti. Verùm horum opinionem, multa ſunt, quæ ſubruant. Ac imum petitur ex Conciiio Tridentino, hoc quippe Vulgatam noſtram declarat authenticam, ſine ulla limitatione, ſive reſtrictione ad certas duntaxat rerum ſpecies; igitur

authentica dicenda est rebus in omnibus, cujuscunq; momenti illæ sint. Præterea idem Concilium decernit Libros Sacros cum omnibus suis partibus, prout in Vulgata habentur, pro Sacris & canonicis suscipiendos: consequens itaque est, nullam esse partem sacrorum Librorum in nostra Vulgata, quæ non sit sacra & canonica, atq; adeò authentica. Alterum est ex speciali Divina Providentia circa suã Ecclesiã. quia enim Deus bene noverat Hebraicos Græcosq; Fontes originales perturbatum iri corruptumvé, vel incuriâ aut imperitiâ Librariorum, vel malitiâ sive præjudiciis falsis hæreticorum, & aliorum Ecclesiæ hostium, vel injuriâ temporum; quidni provideret Ecclesiæ Latinæ, capiti ac matrici cæterarum omnium, Latinam versionem, Scripturæ sacræ in omnibus rebus etiam levissimis, pleniter consentientem; & verò si vetus illa Synagoga meruit obtinere diuq; conservare verbum à Deo inspiratum, purum, & sine admixtione ullius erroris; si Ecclesia Græca habuit suam versionem 70. Seniorum absq; nævo vel minimo, nonné pronum est credere, id quoq; beneficii genus concessum esse Ecclesiæ Latinæ, ædificatæ super Petram? Præterea nihil esse in Divinis Literis leve, aut levissimum, cùm omnia ad fidem spectent, ac in impiorum numero poni debeat, quicunq; vel in re levissimi momenti discesserit ab iis, quæ in Divinis Libris continentur. Si igitur Vulgata nostra meretur nomen Divinarum Literarum; nihil in ea leve est, nihil non Divinum. Postremò si ità res se haberet, ut volunt isti, multa pars Sacrorum Librorum, illa videlicet, in qua neq; articuli fidei, neq; leges morum præscribuntur, dubio subjaceret, sitné verbum DEI, & non potiùs verbum humanum.

XIV. Verùm instant: Jnterpretem Latinum hominem fuisse, non Vatem, neq; Prophetam; ut homo igitur labi potuit

tuit ſaltem in re levi. Sed iſtud non difficile eſt repellere, quanquam enim homo, ut homo eſt, labi poſſit: non illico conſequens eſt, illum lapſum eſſe ſaltem in re levi, hanc præſertim, de qua agimus, materiam, concernente; error quippe ſive in Libris conſcribendis, ſive in aliud idioma transferendis, à viro aliunde dotibus naturalibus eximiis ornato, eruditiſſimo, lingvarum peritiâ inſtructiſſimo, faciliùs in re levi, quàm in gravi, ardua, & de ſe difficili, vitari poteſt. Præterea vel hi, cum quibus agimus, in noſtro Interprete Latino agnoſcunt aliquid Divini, ne laberetur in rebus gravioribus, & fidem ac mores concernentibus; vel nihil Divini agnoſcunt? Si illud prius affirment, id ipſum nos in cæteris omnibus rebus aliis, nihil vetat, quominùs affirmemus. Sin verò poſterius dicunt, & tamen fatentur, non eſſe illum lapſum illis in rebus; fateantur oportet, eodem jure, in cæteris etiam aliis quibuscunque non lapſum fuiſſe.

XV. Quia verò magna honoris, & authoritatis acceſſio Latinis noſtris codicibus fieret, ſi quo ſpiritu facti ſint, noverimus; non veremur dicere; noſtrum Interpretem Divini Numinis præſentiâ ductum, neque falli, neque fallere potuiſſe; atque adeò noſtros Libros Divino Numine inſpirante perfectos eſſe: eô videlicet modô inſpirationis, quô Spiritus S. excitavit, & impulit hunc hominem, quem Interpretem Latinum Scripturæ originalis delegit, ut ſimul ipſi adſiſteret in ſingulis ſententiis, & verbis, cuſtodiretque ab omni errore, & inconvenientia verborum, quæ non expediunt, vel dedecent talem Scripturam. Rationem, quæ nos ad id ſentiendum movet, non aliunde majorem ſumimus, quàm ex Græcis Codicibus, qui de plurimorum Patrum & Theologorum ſententia Divino Spiritu facti ſunt, nec ea de re dubitationi locus occurrit aliquis, ſi ut

pleri-

plerique censent, Septuaginta illi Interpretes varias in cellulas distributi, nulla inter se facta collatione, sententiâ tamen & verbis eisdem versionem suam perfecerint. At eodem Spiritu factos fuisse nostros Codices Latinos, & si non illa cellularum distributio, aliquid tamen ipsis æquivalens, vel potiùs majoris adhuc ponderis, persvadet. Nimirum 1. celeberrimi sapientissimique Viri per mille & ampliùs annos florentes in Ecclesia Latina, qui Vulgatam versionem, ut purum DEI verbum sine erroris ullius admixtione reverebantur? 2. Authoritas Concilii Tridentini, quod authenticam declarando hanc versionem, non Interpretem corrigendum existimavit, sed ut duntaxat, quàm emendatissimè opus ipsius imprimeretur, decrevit; cùmque Romæ à plerisque Theologis (referente Pallavicino in Histor: hujus Concil. L. 6. c. 17.) hoc decretum in suspicionem adduceretur hac de causa, quòd existimarent, multa Vulgatæ menda nec amanuensibus, neque Typographis adscribi posse; debuisse proinde in Decreto denunciari, eam esse recognoscendam, & emendandam; tantùmque obmurmuratum esset, ut deliberatum fuerit, de impressione illius Decreti tantisper retardanda; ista nihilominus non moverunt Sanctam Synodum, sed responsum datum; nihil ab ipsis opponi, quod à Concilio non fuisset maturè perpensum: ità examinatum à Theologis, ex omnibus Nationibus selectis; ut ea, quæ super Libris Canonicis observaverant, talia essent, quæ vel Vittembergæ proposita plausum ab hostibus extorquerent. 3. Sacra Congregatio amplissimorum Cardinalium, aliique eruditissimi Viri ad castigationem Vulgatæ à Sede Apostolica delecti, quorum *propositum non fuit* (ut ipsimet fatentur in Præfatione) *antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare, sed ipsam veterem ac vulgatam editionem Latinam, à mendis veterum Librario-*

rum,

rum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati, ac puritati restituere. 4. Constitutio Clementis VIII. S. P. præfixa huic Vulgatæ, per quam authoritate Apostolica districtiùs inhibet, ne ullus hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito priùs exemplari, in Typographia Vaticana excuso: atque hujus exemplaris formâ, *ne minimâ quidem particulâ de Textu mutatâ, additâ, vel ab eo detractâ*, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifestè adscribendum sit. 5. Tandem quædam Declaratio Cardinalium, quæ, (teste Suarez tractat. de Fide Disp. 5. Sect. 3. n. 10.) impressa circumfertur, apud Petrum Vincentium de Marzilla ad laudatum Trident: Decretum: *Nec solam periodum, solam clausulam, vel solam dictionem, aut syllabam, iotave unum admitti posse, quod repugnet huic Vulgatæ editioni Latinæ.* Hæc omnia simul sumpta, meâ quidem sententiâ, tanta sunt, ut si non superent, & multùm excedant circumstantiam cellularum, quæ omnibus manifestum est argumentum Divini Spiritûs, Septuaginta Interpretes regentis, in illo, quod perfecerunt opere; certe illam saltem adæquant. Nam si humanâ est altiùs facultate, Septuaginta Viros secum non conferentes, in easdem sententias & verba convenire, quidni altiùs sit, verèque Divinum in unius nostri Interpretis sententias, & verba, tot Viros Doctissimos, Sanctissimosque, tot Congregationes à Sede Apostolica institutas, ipsum denique Generale Concilium convenisse; cum non illum ulla ex parte corrigendum, vel emendandum judicaverint, verùm ipsius opus, duntaxat à mendis aliunde provenientibus repurgandum, pristinæque integritati, ac puritati restituendum. Unde non abs re, id quod S. Augustin. L. 18. de Civitate DEI c. 43. dixit de 70. Interpretibus, paucis immutatis dicendum putamus de nostro

Latino

Latino Interprete: Sicut in canonicis Scriptoribus *vera & concordantia dicentibus*, *unus pacis Spiritus fuit*, ſic & in iſto, non conferente cum Doctiſſimis Eccleſiæ Doctoribus, Patribuſque, *& tamen tanquam uno ore* in omnibus ſibi conſentientes habente, *idem Spiritus unus apparuit.*

XVI. Contra hæc, quæ modo diximus, aliqua objiciuntur. ac imum illud. S. ipſe Hieronymus, qui fuit vel Auctor, vel Emendator noſtræ Vulgatæ, in ſe hunc ſpiritum non agnovit, quem 70 Interpretibus denegabat; ſed neque S. Auguſtinus eum illi tribuit; cùm Epiſt. 10. ipſum falli potuiſſe Divinos Libros ex Hebræo interpretando, exiſtimet. Reſpondemus, longè diverſum eſſe, regi adſiſtente Spiritu Sancto, & illum noſſe; non enim omnibus, quos regit, ſe manifeſtum exhibet. Poterat igitur Hieronymus, &ſi regeretur hoc Spiritu, illum non agnoviſſe; poterat & Auguſtinus, cùm nondum Eccleſiæ conſenſio in editionem Vulgatam acceſſiſſet. At modò *non immeritò* (verba ſunt Præfationis ad vulgatam) *Catholica Eccleſia S. Hieronymum Doctorem Maximum*, *atque ad Scripturas Sacras interpretandas divinitùs excitatum ità celebrat*, *ut jam difficile non ſit illorum omnium damnare judicium*, *qui vel tam eximii Doctoris Lucubrationibus non acquieſcunt*, *vel etiam meliora*, *aut certè paria præſtare ſe poſſe confidunt.* Jd tamen impræſentiarum adjicimus, hunc maximum Doctorem Sancto illo Spiritu ductum, cùm ultimam manum verſioni ac emendationi imponeret.

XVII. Alterum quod objicitur, eſt. Noſtrum Interpretem, vel Emendatorem Hieronymum quædam aliter vertiſſe, quàm habeantur in verſione ſeptuagintavirali; quaſdam item voces Hebraicas nunc hoc, nunc aliô modô legiſſe, vertiſſeque. Jſta ergo, inquiunt, diverſitas ſentiendi, non Divini, ſed humani

indici-

indicium est Spiritûs. Verùm si firma hæc esset consecutio, neque Septuaginta viri aliô regerentur Spiritu, nisi humanô; similis quippe diversitas sentiendi in iis occurrit: aliqua enim adjecerunt, quæ in Hebræo non habentur, alia aliô modô interpretantes, intellexerunt. Quod tamen indicium humani Spiritus non fuit Augustino, qui hæc sibi objiciens locô superiùs laudatô de Civitate; *Spiritus*, inquit, *qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat in Septuaginta Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profectò authoritate Divina & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixißet, quia utrumque idem spiritus diceret, & hoc ipsum aliter, ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere; etiam ut hinc ostenderetur non humanam fuisse in illo opere servitutem, quam verbis debebat Interpres, sed Divinam potiùs potestatem, quæ mentem replebat, & regebat Interpretis.* Hac ipsa Augustini ratione, nemo non videt, quàm facile, id quod nostro Interpreti objicitur, repellatur. Non enim majora Divinitatis signa in illis 70. Viris non secum conferentibus, & tamen eadem sentientibus, agnoscimus, quam in nostro Interprete, quem uniuersa Ecclesia in Concilio Trident. approbavit, nec sibi emendandum, sed pristinæ solùm puritati restituendum censuit.

XVIII. At inquiunt; approbationem Ecclesiæ Trident. esse non potuisse, nisi eorum tantùm Vulgatæ locorum, in quibus traduntur res fidei, & morum. Siquidem in reliquis Concilij tempore defædata erat multis erroribus, & nunc quoq; non paucos retinet. Primum constat ex emendationibus Sixti V. & Clementis VIII. alterum ex Bellarmino, cujus imprimis operâ usi sunt in ea corrigenda Summi Pontifices. Is enim in Epistola ad Franciscum Lucam Brugensem scripta ait: *Multa*

ex industria justis de causis pertransivimus. quæ correctione indigere videbantur. Ne videlicet Christianæ aures tot mutationibus offenderentur, & non veterem ac vulgatam, sed novam versionem crederent. In laudata quoq; jam Præfatione dicitur; vulgatam editionem *omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est*. Hoc quidem primo aspectu grave esse videtur; verùm si consideretur vulgata secundum se, id est, ut erat ab Interprete, non verò ut erat in exemplaribus, facili solvitur negotiô. Ecclesia quippe Tridenti congregata, priore modo vulgatam sumptam, quo ad omnia probavit, posteriore autem modo sumptam, probare nequaquam potuit; sed ut à mendis atq; erroribus non paucis corrigeretur, præcepit hoc ipso, cum decrevit, ut vulgata deinceps, *quàm emendatissimè imprimeretur*. Distingvendi igitur errores sunt Interpretis ab erroribus aliis, qui aliunde vel casu, vel fraude, vel incuriâ, aut aliqua alia ratione in vulgatam irrepserunt. Errores, qui ipsi Interpreti tribuendi essent, nec modò esse, nec olim fuisse agnoscimus, idq; evinci argumentis jam datis contendimus. Posterioris verò generis errores, in variis exemplaribus permultos fuisse non negamus, & de his tum Bellarminus, tum author Præfationis intelligendus.

XIX. Postremò tandem ajunt: DEI opera bona cuncta esse, & in suo genere miranda. Si igitur opus Divinum esset Vulgata nostra, ut ab Interprete processit, nullum in ea vitium, nullum peccatum fuisset; at verò saltem in hoc vitium peccatumq; est, quod Interpres aliqua parum Latinè reddiderit, nec ita propriè & comptè, ut ea commodiùs reddi non potuissent. Negamus enim vero in eo esse vitium vel peccatum. Humano ista sunt objicienda sermoni, non Divino. DEUS quippe quemadmodum teste Apostolo 1. Cor. 1. ℣. 27. *quæ stulta*

ta sunt mundi elegit, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit, ut confundat fortia: ita in suo sermone quædã haberi voluit, quæ minùs apta esse videantur, & (ut olim ajebat Augustinus L. 3. Confess. c. 5.) *indigna, quæ Tullianæ dignitati compararentur*. ut sic sermo ejus, eodem dicente Apostolo cap. 2. ℣ 4. *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritûs & virtutis*, vel maximè consistere judicetur. Hinc etiam in textu originali & archetypo magna styli & orationis diversitas occurrit; & aliqua interdum rudia, & impolita. *Imperitum sermone* Hieronymus dicit Amos in Proœm. & Paulus seipsum 2. Cor. 11. ℣. 6. Quare *verba cœlestis oraculi*, ait Gregorius in Ep. ad Leandrum de Libris Moral. c. 4. *restringenda non sunt sub regulis Donati... Dignum profectò est, ut* vulgata nostra, *quasi edita soboles specimen suæ matris imitetur*. Si consulantur regulæ æternæ, atque eô, quô inspirata est, Spiritu legatur vulgata, negamus in ea esse aliquid, quod offendat, vel verbi DEI majestatem dedeceat. Unde optimè dixit Augustinus Conc. 31. in Psal. 118. *Qui diligit DEI legem, etiam quod in ea non intelligit, honorat: & quod ei sonare videtur absurdè, se potiùs non intelligere, & aliquid magnum latere ibi judicat.*

XX. Atque hæc sunt, quæ de vulgata secundum se, & ut est ab Interprete, diximus. Si quis verò nosse velit, quid de ipsa, ut hodie est in exemplaribus, sentiamus; fatemur id non esse necessarium ad defendendum peculiarem sententiam nostram de DEO hujus translationis auctore speciali, & ut olim Græco, sic postea Latino verbi sui Interprete. Quia tamen magni momenti res est scire, qua authoritate Latini Codices, quibus utimur, polleant; Dicimus, *Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. & Clementis VIII. PP. MM. Auctoritate recognita*, qualia prodierunt

dierunt

dierunt ex Vaticana Typographia Verbum Dei puriſſimum eſſe, ſine ulla erroris admixtione, ſive ab Interprete, ſive ab aliis, quorum curæ recognitio commiſſa fuit. Eccleſiæ quippe ad hanc Sacrarum Literarum perfectionem, & puritatem à Spiritu Sancto, non ſubitò ſed paulatim, & gradatim perductæ; tot laboribus & examinibus, ex mente, & præſcripto Concilii Æcumenici, hac ſuper re adhibitis; ita demum conveniebat, & Divinæ Providentiæ conſentaneum fuit. Quâ Providentiâ ſicuti factum eſt, ut Sixtus V. Bullam, quam paraverat, ad confirmandam Latinam Editionem ſuam, non promulgârit, quia Editio illa adhuc imperfecta erat, & correctione indigebat; ſic Providentiâ eadem factum putamus, ut Bellarminus, & alii Sapientiſſimi Viri aliqua pertranſirent, *quæ correctione indigere videbantur*; quia re ipſa non indigebánt, ſed vulgati Interpretis autographum fideliter referebant. Quod ipſismet perſvaſum tandem videtur, cum illud addiderint: *In hac Editione nihil non canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum.* Et hac ratione hodieqùe veriſſimè dicendum cenſemus: in Romana Eccleſia, quæ ſola Apoſtolica eſt, *ipſas* (ut olim ajebat Tertulian. L. de Præſcript. c. 36.) *Authenticas Literas Apoſtolorum recitari.* & ex ſententia Jrenæi L. 4. c. 45. loquentis de Sacris Libris, *id quod eſt ſanum irreprobabile ſermonis conſtare.*

Ad M. D G.